

K. 4. 135.

1) Terminus, Gotofredus

not 21 - 18)

(P)

6

MELISSI

Mele five odæ

A D

K f 130

NORIBERGAM

ET SEPTEMVIROS

REIPVB. NORIB.



NORIBERGAE,

In officina heredum Montani.

A.º CID IO XXC.

SENATVI NORI BERGENSI.



CONSTITVI mecum, Patres conscripti, non his ipsis tantummodò, quæ vobis hodie confecro dedicoque, carminibus; verùm etiam in posterum quotannis (modò vita mihi suppeditaverit) cum FRANCIAE nostræ, umbilico Germaniæ, tum exteris quoque nationibus; quarum tam aures quàm linguas Latinitatem aliquam vel sapere vel amare comperietis; novo quodã styli adfabrè expoliendì genere (quod quidem unicè mihi curæ est) testatum facere, quinam in primis animus, quæve mens, atque adeò quænam cogitationes Musas meas ad Rempub. vestram non solum tacito quodam complexu amandam, sed etiam publica præconiî tuba quasi clarigandam, serio impulerint. In quo sanè proposito tantum abesse existimo, ut me plenis, quod aiunt, velis equisque in laudum vestrarum pelagus sive aream latissimam invecum, ac sponte mea pergentem, sitis remoraturi; ut potius, si modò animum rectè perspexi vestrum, non unum præterea sitis calcar addituri; eo vel maxime nomine, ut quo maiorem de me conceperitis expectationem ipsi, amplioremque curriculo meo patefeceritis campum, eo studiosiore atque animosiore tum diligentia tum conatu in id manibus pedibusque mihi incumbendum esse sentiam; cuius uti vosmet (quando per vos ipsi vestræque virtute omnium & clarissimi sitis & cognitissimi) minimè quidem indigere, ita me contra profectò eiusdem, quin animo nihilominus morem geram meo, carere non posse intelligo: siquidem haud paullo illustriorem Poëtæ nimirum vobis populari, ab obscuritate sese in luminis auras vindicaturus, lucem a splendore vestro maxime insigni lubenter communicatum iri, in animum non temerè induxi meum. Accipietis igitur, Senatores magnificentissimi, non dico (quamquam cur non & rectè dicerem?) messis alicuius uberrimæ primitias, sed spicilegii dumtaxat manipulos aliquot; attamen cum operis de-
hinc

hinc absolutioris, tum fructus copiosioris futuri specimen præben-
tes: accipietis, inquam, qualecumque hoc est lucubrationis, eo ani-
mo, qui quanto hæcenus semper ad fovendum Musas promptissi-
mus fuit; cuius utique rei testimonio vel unam satis superque fore
Academiam vestrã Altorfianam, ædificium ipsum perquam splen-
didum palam clamat: tanto etiam idem posthac gratissimum acce-
ptissimumque nanciscatur sui buccinatorem, inter quem cæteros-
que trivialis naniæ siticines discrimen ut faciatis, prudentia ve-
stra vos commonéfacit. Valete, Noribergæ, mense Sextili, an-
no Christi M D XXC.

3

*P. Melissus, Comes Pal.
& Eques, civis Rom.*

A 2 Ad



AD GENIVM VRBIS
NORIBERGÆ.

DIVE GENI, CVIVS NVTV CELEBERRIMA LAVDO
MœNIA, QVÆ SALTV NORICA CINGIT HYLE;
PEGNESSVSQVE PATER BIFIDIS INTERLVIT VNDIS,
RADERE LITTVS AMANS CESPITIS HALLERII:
VRBE EGO SI CECINI DIGNAS VRBISQVE PATRONIS
ODAS, QVAS CIVES PATRICIQVE LEGANT;
FAC PERPE^s FAMA HANC ÆTERNET, VITA PATRONOS;
VERSIBVS INQVE MEIS FLOREAT VRBIS HONOR.
QVID PRECOR AH DEMENS; PRIVS OBTIGIT HVIC, VT ET IL-
VITA, VIGORE TVI; FAMA, VIGORE SVI. (LIS,



ODE I.

AD INCLITAM NO-
RIBERGAM VRBEM
IMPERII.

Strophe.



*P*RINCEPS urbium Francie
NORIBERGA, Teutoni sidus poli,
Ocellum micans Europa, &
Parens venusta Nympharum,
Queis amne suo pedes lavit argenteos
Aureas inter Pegnessus arenas;
Viridis Pegnessus, uber undarum
Pater, actæque locuples aquator:
Quis me Genius in tuum duxit
Sinum, tam comi & placido
Ut fruere consortio
Niveæ sodalitatis?

Antistrophe.

*C*redo, credo sanè, suos
Civitatibus dicatos propriè

A 3

Adesse

6

*Adesse piam ad tutelam
Sanctos Lares Penatesque,
Ut editimentur, ad domuum limina
Rite custodes. arcana Jheova
Bonitas hos praesides ab aeterno
Statuit consulere destinatis
Olympo hominibus. locos iidem
Mali securos bene praestare,
nefandarumque vim
Cohibere pravitatum.*

Epodos.

*LAETOR, io, laetor oppidó
Sub gremii me tui delitescere
Tutum tegmine. laetor item,
Periculi nimis heu metuti
Expertem, & Alpium scrupearum cacumina
Cum nubifero Apennino
Trajecisse, & Aeneadum
Tiberina lustrasse palatia.
Onus heic repostum: sarcina valedictum.
Non amplius cor mihi lapiunt cura,
Neque arumna jecur anxium mihi exest.*

Strophe

Strophe II.

7

Salve o NORIBERGA inclita,
Hostiumque vince, si qui sint, technas
Et nequitiam. salвете
Septemviri, quibus cura est
Concredita curia atque rei publica.
Consulum salve patrumque corona
Reliquorum tota: vosque salвете
Quibus aut Musica sonora cordi,
Aut enthea Poësis. en juris
Peritos, nec non medicos
Adloquor insignes: item,
Sine queis nec ipse sexus,

Antistrophe II.

Nec pubes propagarier
Est potis, domesticum matres decus,
Nurusque juventa flammis,
Castosque virginum catus:
Ac denique eos saluto, ope quorum scholæ &
Templa fundatis stant nixa columnis.
Schola florens artium atque linguarum
Studiis, ecce viridantis instar

Horti

8 Horti est, varia germinum herbarumque
Alentis pro semina. hinc
Serta leges: illinc tua
Bene sarta tecta cernes.

Epodos II.

Regna, potentumque maxima
Imperia (ab quantulum tempus hinc abest!)
Interversa ruent subito;
Abrupta ceu crepitante terra-
Motus fragore vel dorsa, vel pars crepidinis
Revulsa. sonum dant late
Mugitumque ruderum. Tu
Nihil usquam terriculi metu
Pavitabis, urbs divina; quippe quam robur
Celeste virtute perpetua involvit,
Quati pregravibus inscia ruinis.



ODE

Ad amplissimos reipub. No-
ribergensis Duumviros

BALDASAREM DERRERIVM
&
VVILIBALDVM SCHLVSSSELDERVM.

A Rduares, & omni
Mole, quam collo subeas, ponderosior, equâ
Sustinere publicum
Cervice munus, proque luculentis

Rite focus & aris

Dextera cura studium collocare tuendis;

Ne quid ingruat mali

Fato sinistro. non sopore pigrum

Endymiona poscit

Hic gubernanda validus plebe temo; sed Argum,

Fronte cuius ignea

Centum patentem palpebris severis

Stent oculi; irretorta

Semper intentos acie quos metu vereantur

Condecete subditi.

Auriga currum flectit, incitatos

B

Arte

10 *Arte regens jugales:*
Sic magistratus populum pertinace capistro
Frenat, & reos jugo
Constringit arcto. Si quis arrogantem
Heic Clymenes alumnum,
Ponat exemplo, patrias absque lege quadrigas
Susque deque lubricis
Rotis habentem; nã timebit exlex
Præcipitare sese
Et suos cives, simul his jura, resque domosque
Obvium in periculum.
Vento secundo navitis regundi
Cura minor liburni.
Leva tempestas reboët, fluctuumque furores
Spumeis reverberent
Pinum procellis, huc adactam & illuc
Heic opus artis, heic &
Roboris, motum paribus posse frangere tonsis,
Sævientè Nerei
Stridore, marmor, sic favente velis
Et popularis aura
Spiritu, perquam facile est liberaliter urbi
Apta jura reddere:
At cum duelli causa prævalentis

Sediti-

Seditio ve gliscit;

11

Ab quot us quisque est, animos indomabilis æstri

Qui furore percitos

Contundere urgens, pristina rebelles

Restituat quieti?

Vos duos, virtute pares & fide, meritisque in

Oppidana mutuis,

Te nempe canâ DERRERI senectâ, &

Te BILIBALDE, qui de

Clavibus nomen vetus & signa nactus a vita es;

Maximusque & optimus

Jehova summa rerum in evidenti

Præposuit theatro

Urbis antiquæ, vitrei cui liquoris abundans

Hospes insulam secat

Pegnessus: urbis, Francico poëtæ

Primitus erudito

Cum stylo Celti celebratæ, inde versibus Hessi

Vividis ad astricos

Orbes vocatæ. DI patresque nostri,

Numina celsa, quantum

Instar in vobis! oculos quisque conjicit in vos,

Anchoram velut sacram.

Vos incolis, vos advenis asylum.

B 2

En

12 *En operâ quietum*
Otium vestrâ viget, ac Pacis integra floret
Mater, aureis comam
Amicta læta ramulis olivæ.
Perpetuum sit opto
Tale magmentum; Et proprias has opes bona vobis
Servet usque Faustitas,
Candorque Francus ævi in omne tempus
Virginea beatos
Sospitet vultus Aquilæ. Quisquis hanc amat urbem
Esto, dicat, hoc ratum:
Et salva duret Noriberga semper.



O D E III.

Ad eloquentis. Conf.
PHILIPPVM GEVDERVVM
Triumvirum reip. Norib.

GEVDERE eximiis inclite dotibus,
Urbis magnificæ præcipuum caput;
Qua de re modò tecum
Oratore poëticum

Sermonem

13

Sermonem instituat, qui tibi, qui tuis
Ornatus titulis splendeat? ambigo;
Vox & faucibus haret
Interrupta: pudor quoque
Frontem scalpere me cogit, ob arduo
Commisam scapulis pondere sarcinam.
Etsi das mihi (quamquam
Quei noris dare, nescio)
Dignis posse modis pollicitam exsequi
Versu materiem tam bene condito,
Quàm Dircaea chelys, quàm
Doctis Lesbia barbitos
Immortale sonis plectrum animat; tamen
Dum septem proceres scribere gestio,
Ne contingat egeno
Non tam spontis & ingenii,
Quàm, quæ deficiunt pectora, virium,
Id quod technophyo contigit Isthmio,
Hac ætate vereri
In mentem venit ilicet.
Bissenum siquidem mirificus deum
Euphranor nitidas pingere imagines
Claris orsus Athenis,
Cum jam, quàm pote maximè

14 Præcellentibus hinc inde coloribus
Neptuni speciem, tergemina sui
Maestate verendam
Complexus fuerat; Jovem
Ipsam, pro merito, splendidioribus
Longè luminibus sumserat, ac magis
Augusto ore coruscum,
Divum quale decet patrem,
Subjectæ in tabula fronte palam omnibus
Spectandum dare. sed quos animi impetus
Præcox illa prioris
In se vis operis, statim
Præter propositum languida, fregerat;
Conatus reses heu posterior, nimis
Eneruatus, in altum
Hos adsurgere, quo quidem
Tendebant, vetuit. Dædala sæpius
Ut natura catæ gnæviter æmulam
Virtutum esse suarum
Arti non negat invidé;
Sic, utcumque labos ardua ventilet,
Eamdem destituit non minus irritam.
Quod pol dextera quondam
Elimatior optimi

Pictoris

Pictoris pariter tum statuarii
Sensit, cui similor, non sine questibus.

Ac ut more noverca,
Nunc mandata solo Ceres
Frustratur sterili fœnora semine,
Sulcis ludibrium; nunc hebetata nil

Falx messoria dentes,
Spem frugalibus horreis
Culmi spiciferi mergite flaccidam
Omnino imminuit: sic quoque vitrici

Instar, lævus Osyris
Aut florentia noxio
Almarum patitur germina vitium
Obtorpere gelu, aut cum nova palmites
Stant velamina fructuum
Induti, malè præcævet

Hos sæva Boreæ grandine concuti.
Sic vindemiolam termitis haud sibi
Semper præstat opimam
Inventrix oleæ Dea.

At GEVDERETIBI Bistonie datum est
Chordas posse lyræ tangere, quomodo
Vati cumque libebit.
Est, qui possit idem, tuus

FRATER

16 FRATER Castaliis lotus in amnibus.
Vobis Melpomene sive Polymnia
Palman ferre secundo
Non abjurat Apolline.



O D E IV.

Ad strenuissimum Equitem
IOHANNEM RIETERVM
VII virum Norib.

Non pace tantum commode tuerier
Oppida, laudis erit;
Sed dum furores bellici
Terrent colonos, maxima virtutis est
Hostibus armiferis
Opponere arma fortiter,
Dextrisque verruncare tot minacias,
Quas Dea sava serit
Impune; cui non vastitas,
Non praeda, non clades, neque effusus cruor
Indomitam saturat
Mentem, neque ater uspiam

Incendio-

Incendiorum fumus explet lumina.

17

Vsque adeo nimis

Mortalium gaudet malis

Tyranna, feruida sititrix sanguinis.

O utinam satrapæ

Regesque nostri temporis

Injusta declinare bella a civium

Indigenumque procul

Cervice mallent, quam meras

Spirare mortes. non foret consultius,

In genus Odrysium

Acresque Bisaltarum equos

Enses retusos ilicet diffingere?

Non foret utilius,

Commune damnum in exteris

Plagas relegare, & quietis publica

Qua licet omnimodis

Vltro procurare augmina?

Martisque nervos illicem pecuniam,

Carcere sub tacito

Clausam novemplici serâ,

Meliozem in usum sedulo comparcere?

At grave in exitium

Ruere scelestos Fatum agit.

C

Qui

18 Qui saepe fractis debita repagulis
Iustitiae & fidei,
Heu stare pactis mutuis
Timentque conjurare amicis nexibus.
Tu quoque militiam
RIETERE longam, castraque
Sectatus es; sed laude cum maiore, quam
Vulgus inops hodie
Virtutis antiquae solet,
Lucro & rapina congerenda obnoxium, &
Vel Stygis in superos
Proclive causam herciscere.
Tua est tetrarchis regibusque exoticis
Caesaribusque fides
Manusque cognitissima.
Te Belga, te novit Britannus, Celtaque &
Imperiosus Iber;
Te novit acer Italus.
Te Quinctus ille quondam equestris ordinis
CAROLVS eulogiis
Ornavit, armis strenuum,
Tibi Gradivus ipse cessit contumax,
Cessit & ipsa soror
Pugnax Gradivi protenus.

Nunc

Nunc patriam, nunc & patronos patriæ

19

Consiliisque bonis

Juvas, & illa fungeris

Officia, quæ tranquillitatem Norici

Rectius imperii

Sartam atque tectam promovent.

Quis aut equos, aut quis mihi poëticas

(Martiporheus agendum)

Mittet quadrigas, his uti

Festinus invehar viri in præconia,

Et Lacedæmonium

Velut Clearchon alterum

Hunc rite celebrem? non opis mihi satis,

Nec satis oris inest

Pressum trahenti spiritum,

Tot atque tanta posse præclarissimi

Facta patrata manu

Herois, alto carminis

Sonare lituo. Ter beatus, quem graves

Urbis in historia

Clanxere fortem buccinæ.



C 2

ODE

Ad præstantis. patricium
 HIERONYMVM BAVMGARTNERVM,
 Septemvirum Norib.

Vuncta nuper dextera dextera,
 Blandisque lingua lingua reciproca est
 Collata BAVMGARTNERE verbis:

Dispeream, nisi visus ipse

Mihi es benigno pectore Gillias

Vnus; Pachyno non procul arduo

Quem mentis haud illiberalem

Protulit olim Agragas in auras.

O qui refulgens ore sedet lepos!

O quæ loquellæ Thespias it comes!

O quale quantumve heic propinquum

Numen inest oculis venustis!

Spirant inexpletum ingenui meros

Vultus amores, lumina gratiam:

Humanitatis officinam

Corde tuo sibi collocavit

Natura pollens. En ego perparum

Fuisse dico, quidquid inaudii

De

De dote tanti deque nervis
 Ingenii. minuunt acumen,
 Rerumque acervos credita: cernere est
 Plus in recessu. Ponite, ponite
 Fictos colores, o Falisci,
 Et Tyrio simulata fuco
 Pigmenta: nobis patricium dedit
 Sincera Franca Noridos urbs virum,
 Quo nemo Musas usquam amavit,
 Sed nec amat, nec amabit umquam
 Ardentius; quo nemo magis fovet
 Musarum alumnos. solus hic omnium
 Est instar: hunc solum Camena
 Diligere, & Charites amare.
 Vixisse tali pectore praeditum
 Senem, quis est qui credere deneget,
 Tuum parentem? quo nihil res-
 Publica vestra habuisse fertur
 Præstantius, seu consiliis graves
 Lenire causas, seu moderantia
 Mentes sonare dicta, sive ex
 Tempore cum Cicerone fari.
 Testes meorum nuncupo sensuum
 Quot eruditos conscia reddidit

C 3

Doctrina,

*Doctrina, conscriptosque patres,
 Totius & regimen senatus.
 Sacrum Camenis o HIERONYME
 Nomen, superstes vive mihi diu;
 Tuique propaga decorem
 Sanguinis auspicio secundo.
 Ex te creati comiter induant
 Mores paternos, arboris ut bona
 Fœtus ab innato sapore
 Fructiferam redolent parentem.*



ODE VI.

Ad honoratis. Senatorem
 ANDREAM IMHOFIVM,
 VIIIVIRUM Norib.

H*Uc illuc oculos plagas per omnes,
 Et in omne si quis ora
 Vertat latus; ecqua firmiora
 Potis est, relictas
 Præter Imperii labantis urbes,
 Stabili invenire regno*

Funda-

Fundamina? Luca Tusca restat

23

Italis in oris

Sola; solaque Sequanos ad ocreas

Sita, Gallica loquella

Vesontio. Teutones tuemur

Hodie peragrè

Prisci reliquias honoris atque

Decoris, valente dextra &

Virtute fideque Francicorum

Meritisque regum

Parti. CAROLE, Carole ille, Magni

Generosum adeptè nomen,

Et Carolidum vetustiorum

Anima beatæ;

Quantum pristina discrepant ab alis

Aquila nimis vieta!

Quàm sceptræ vorax senilis ævi

Caries peredit!

Custos Noricus est tamen senatus

Diadematis sacrati,

Globique decentis & bacilli,

Gladiique pulchri, &

Abolla Phrygiæ, novum monarcham

Operosè inaugurandum

Cultus

Cultus proprié manentis, idque
 Genus intimarum
 Rerum; non sine gemmeis lapillis
 Variæque dote gazæ,
 Quam rumiferare Fama cunctis
 Pretiosiore
 Unionibus atque margaritis
 Alyatticis & Indis
 Nihil dubitabit. O fidelem
 Et honore dignam
 IMHOFI venerande Noribergam,
 Patriam virum bonorum;
 Cui tradita jure tanta tantæ
 Opulentitatis
 Cura! nam nisi gloriosa vestra
 Fidei integræque mentis
 Spectata negotiis in arctis
 Foret altitudo;
 Quantam re dubia, haud scio profectò
 An in altera urbe forsàn
 Qui reppererit, pari vigore,
 Mihi nemo præstet:
 Eccui muneris hocce credidissent
 Proceres? idem reapse

Nunc

25

Nunc in studium fidemque eamdem
Penetrare sese
Septem consimili studet viratus
Animo, statum perennem
Servare memor. pié adlaborant
Operamque navant
Mutuam reliqui patres togati.
Sapientia refertorum
Industria consulum, & paternus
Tredecim virorum
Consensus bona civitatis auctat.
Ita, si pusilla magnis
Componere fas, apum cateruam;
Ita diligentes
Formicas, patiens genus, videmus
Locupletiore cellas
Augere penu, & scrobes egenæ
Hiemi cavatos,
Subterranea regna; nil labori
Operæque non paratas
Impendere, quo sua & suorum
Sibi tuta servant
Incrementa, genusque destinatum
Sociis utrinque curis.

D

Macti

*Macti este bonis abunde vestris
 Animisque, cives:
 Vobis dum placida quietis annos
 Malè nulla turbat Ate,
 His verticibus suprema laté
 Ferietis astra.*



O D E VII.

Ad vigilantifs. præfectum
 BARTHOLOMÆVM POEMERIVM,
 Septemvirum Norib,

HINC te Pœmerii canam
 Stemmatis columen, BARTHOLOMÆE;
 Cui tutela salusque
 Arcis ante alios credita Noricæ,

Inter præcipui viros
 Nominis, tua te strenua virtus
 Collocavit; ut horum
 Amplo, pro meritis, additus ordini,
 Clara sidera patriæ
 Fulgidis, patriæ sidus & ipse,

Illustres

Illustres radiis, ceu
 Perseus Inachus: quem memorant polo,
 Ob laudabilium acribus
 Expedita lacertis monumenta
 Rerum, sponte receptum.
 Quid non ille animi praestitit integer
 Heros, praevalida manu
 Dum comam anguineis Gorgonas atram
 Spiris implicitas, ac
 Sevam terribili fronte Medusam atrox
 Non impune retunderet?
 Hanc quidem peracuta dedit harpe
 Leto, fortibus illas
 Armis vicit ovans. quod nisi Phorcidis
 Truncasset caput obvia,
 Nonne Bellerophonteus equus nec
 Fusonata cruore
 Crura sustulerit, nec pedis unguam
 Fonti ruperit exitus?
 Unde Pegaseum prisca vetustas
 Nominare suavit.
 Eius ni fuerint iuge fluentibus
 Proluti labra rivulis,
 Quis cyncneae mele commodulari

D 2

Cordi

Cordi est; his neque Phœbum,
 Scitum Mæonii carminis augurem,
 Nec Pimpléidas, Aonum
 Hospitas, neque Tritonida castam
 Certum est adfore præstó;
 Seu clangente tubâ forte epos adgredi,
 Sive Pindaricæ lyra
 Increpare fides, aut juvet arctis
 Verba adstringere nodis,
 In breves Elegi quo coëant pedes.
 Quis nunc quis mihi limpidi
 Expetit a ministrare liquoris
 Sudet cymbia; queis ex-
 haustis, magnificè dicere moliar
 Et te candide PœMERI,
 Gentilemque tuum, cui JOACHIMO est
 Nomen? ambo Camenas,
 Ambo Pieridum numen Apollinem,
 Ambo Pallada dædalam
 Semper in pretio ac summo in honore
 Censuistis habendam,
 Cultoresque bonarum insuper artium
 Dignos semper amarier.
 Si qua vis numeris indita nostris;

Faxo,

29

*Faxo, nulla dies ut
Vos umquam memori serior eximat
Ævo. namque melismata
Musicaque frequentare coronæ
Cætum quando soletis;
Est, quo vos solidis cum grege Delio
Obligetis amoribus.
Ergo fas erit, ut perpete famâ
Vestrum illustria nomen
Ad seros iterent secula posteros.*



O D E V I I I .
A D S E N A T V M N O R I B .
D e i n s t a u r a t i o n e A c a d e m i æ
A l t o r f i a n æ .

S*I quid, ut magnum, bene condidistis
O Patres; amplum studiis Lycæum
Quàm sub Altorf bene condidistis
Mœnibus altis!
Oppidum parvo licet inter hortos
Ambitu clausum similet Sareptam;
D 3 Artium*

30 *Artium seges tamen heic bonarum
Floret abunde.*

*Famque per novem genialis annos,
Palladis nutu Cerere auspicata,
Protulit feretque dehinc apricæ
Messis honores.*

*Huic ERYTHRAEVS prior excolenda
Rector arcessitus: eoque misso
Sub colum Clothûs, aciemque ferri,*

*FREIGIVS arva
fure consecvit locitata Musis.
Cæteri tradunt operas coloni
Mutuas, nullius onus laboris,*

*Terga quod urget,
Quamlibet vastum, tolerare segnes.
Hic agrum proscindit, agitque sulcos;
Alter offringit sola dura glebis:*

*Lirat & occat
Ille: tum runcant alii frutetum,
Germinans cum luxuriam superbam
Pinguè abutentis mala pullulavit
Seminis herba.*

*Ab quibus seculi meruere culpis
Morte ab humanis citiore tolli*

VOLCA-

VOLCAMER præclarus, itemque LæFEL-

31

HOLZIVS ille,

Quo minus vesci diuturnitate
Lucis, aut saltem locupletiores
Quirit usurpare oculis uterque
Frugis acervos?

Hos tamen certè geminos scholarchas
Nulla post ætas veniens silebit,
Luna dum nocti præerit, diemque
Ducet Eous.

Dissipent aras Academiasque
Verrium dentes, & aprugna rostra:
Misceant celo mare factiosi
Ardeliones,

Turba sublestâque fide & profanis
Moribus, Colcho gravidæ veneno;
Luce queis cassos volupe est, & ipsos
Ledere vivos:

In professores furiale vestros
Non cadet, multo minus in dynastas
Ordinis vestri, pietatis antes,
Virus Echidnæ;

Invicem sed concilium scholamque
Legibus sanctis bene constitutam

Comis

Comis edulcabit amor, bonique

Gustus & æqui.

Nam quid heu griphi tot opinionum

Commodi præstant? quid habent decori

Exacerbatis animis tot hirtæ

Verbera linguæ?

Crescit, augmentumque minuta sumit

Res, ubi concors habitat voluntas:

Maximas contra dedit & dabit dis-

cordia pessum.



O D E I X.

A D F R A N C I A M O R I -
E N T A L E M.



Onsitrix mea, Franciæ nobilissima tellus,

Eademque vatis alma nutritrix,

Europa teres o centrum, &

Laté patentis umbilice Germania;

Quem pater medium secat Mænus amne secundo,

Viridissimos feracis inter

Colles & juga Lenæi,

Vallesque lætas: ut libenter amplector &

Osculor

33

Osculor patrios sinus! ut tuo in gremio nunc
Fruor ádfatim redux amicis
Fucundis, & amicorum
Gratis loquellis! Quinque lustra jam sit satis
Abfuisse Penatibus; lubrica vicis Hybrin,
Variosque sortis implicata
Lævo sidere perpeffum
Casus, in exteris perinde provinciis
Atque in huic propioribus limiti. Malè vortat
Sceleri, rotæque divagantis
Fortunæ dominatrici,
Lusca tyrannæ; ad usque summa vectos poli
Astra, non nisi pessimos elevare suëta.
Bene vortat & bonis piisque, &
Sincera fidei, nec non
Virtutis adsertoribus, doli nesciæ.
Hocce cum grege junctior, transigam stata vitæ
Melioris ac quietioris
Demum tempora, Francisque
Desideratos invidere vultus dehinc,
Qua pote, haud capiar. Potens NORIBERGA Melisso
Bene vult cupitque: Noriberga
Acceptum Genio votum
Hoc redditumque, non sine æmulis, fecerit;
E Sine-

34 *Si neque illepidum, neque est præter omne decorum.*
Stat enim (sit o bonum) quotannis
Huic urbique, dynastisque
Urbis, sacrare debitos recenti modos
Pactione, quibus latens cumque degero silvis,
Dryadum calens Oreadumque
Castarumque Napearum
Amore, fontiumque præsides in mea
Vota pelliciens deas. Audiam melicorum
Bonus auctor, atque fortè princeps,
Pegnèssi patris instinctu,
Arbitrioque mi favente Pegnèsidum.
Inter hæc tibi si meis clara FRANCIA metris
Aliquid, tuo quod aut honori
Aut digna faciat laudi,
Occurret, effice ut perennet hæc laus, & hic
Usque honos trieteridas mille & amplius; utque
Popularibus tibi que amandus
Sim, ceu te popularesque
Amo, atque porró non amare desivero.



O D E

In annum Christi M DC.
CARMEN SÆCVLARE.



AM post virgine prósatum
Hoc in orbe filium,
Sol & Luna reciproco
Mille senaque secula
Absolvére meatu.

Luna cornua menstrua,
Atque Solis annuos
Gyros, signa per astrica,
Norici pueri canant,
Noricaque puella.

Ævum tempora lubricans
Rebus, ut solet, nothis
Miscet instabiles vices:
Fatum Parca remetiens
Comperéndinat annos.

Robur annus idoneum
Auget acribus viris:
Idem robur idoneum
Languido senio negat.
Compar sors habet urbes.

E 2 Vrbes

36. *Vrbes intereunt, truci*

*Mart' & igne diruta:
Instaurantur idem tidem,
Altis sidera turribus
Superbè ferientes.*

*NORIBERGA prioribus
Damna multa seculis
Passa, Marte viget suo;
Noriberga potentium
Mater alma virorum.*

*Hostes Imperio sacro
Abstulere terminos:
Hostes Imperii sacri
Fus & oppida possident,
Occupantque quotannis:*

*NORIBERGA suo viget
Fure, multa seculis
Damna passa prioribus;
Noriberga potentium
Mater alma virorum.*

*Stare sanguineas polo
Sæpe vidimus trabes:
Sæpe nobilium neces
Regum vidimus & ducum*

Presagi-

Præfagire Cometæ:

NORIBERGA prioribus
 Damna multa seculis
 Passa, flore viget suo;
 Noriberga potentium
 Mater alma virorum.

O qui signifera rotæ
 Temperatis ordinem
 Parcarum digiti trium,
 Lustra volvite prospera
 Clara Noridos urbi:
 Tuque stella benignior
 Optimi Jovis fave;
 Et tu Mercurio comes
 Pulcher Hesperæ torpeat
 Marsque Falcitenensque,

Et quicumque salubrium
 Prædo pestilens opum
 Infelice sui situ
 Fortuna melioris ab-
 rumpit æthere cursum.

Princeps audiat urbium
 NORIBERGA Franciæ
 Semper; semper & audiant

E 3

FRAN-

FRANCI, natio nobilis,
Primi Teutonas inter.

Rerum qui potitur, bonus
Vsque Cæsar hanc amet,
Stirpis Caroleæ genus:
Ips' amet quoque Cæsarem
Fida nomine reque.

Euge sancta Fides, ratum
Hoc habe, quod edimus:
Eug' heros, Latialium
Augustissime principum,
Nomen omine firma.

Sic te sic Capitolium
Vere septimo ducem
Prestoletur, ut aurea
Condas secula, quomodo
Prædixere Sibyllæ.

Hendecasyll.

AD HIERON. BAUMGARTNERVM,
patric. & senatorem Norib.



Indarum studiosus æmulari,
Ceratis ope & arte Dædalæa

Pennis

Pennis nititur, altius volando,
 Ponto nomina vitreo daturus.
 Nos haud immemores Horatiani
 Praescripti, tamen improbo labore
 Audacis nova verba Dithyrambi
 Volvimus, numerisque lege nusquam
 Solutis ferimur, sua recentem
 Regula pedem ubique metientes.
 Tu suavissime Gratiarum amator
 Versus fronte meos leges serena
 BAUMGARTNERE, nihilque non putabis
 Facturum, quod ad oppidi perennem
 Vestratis pote pertinere laudem.
 Quiddam namque Duumviris, & ipsi
 GEVDERO, reliquisque Noribergæ
 Summis praesidibus Minerva suasit
 Concinnarier; unde quantum amarim
 Et vos vestraque, quamque amare porró
 Inciter, manifesta signa prodam:
 Verum eiusmodi, ut per illa vos aut
 Aeternum mereamini decorem, aut
 Ipse non nihil aucuper favoris;
 Qui, ne Palladii liquos olivi
 Perdatur sibi, neve opella, faxit.

LECTO-



A M D V D V M nonnihil tædii ex Odis longiusculis mi-
 hi concepisse videris, lector benivole; quandoquidem
 succincta brevitate plerique omnes ferè capimur, qua-
 propter illud ipsum tædium aliqua ut condiretur jucunditate,
 Epigrammata quædam subjicienda curavimus: quorum ex gustu
 si aliqua te adfici voluptate cognoverimus; erunt utique deinceps
 aliquammulta, quibus palati tui delicatuli & iritetur & demul-
 ceatur appetitus. Sed aut fallor, aut certè quidem etiam Dithyram-
 borum nostrorum & Parodiarum libellos, una cum Therinis,
 Oporinis, Cheimerinis; itemque sidere nata fortè
 sinistro Amusa, quæ omnia simul brevi
 edenda statuimus, exspe-
 ctas, Vale.



7
P. Melissi Franci
COMITIS PAL. ET
EQVITIS, CIVIS
ROM.

Epigrammata.



M.
Z-6)

ACHILLES STATIVS LVSITANVS.

Sedere labris in Platonice apes,
Et mella presserunt sua,
Mox ut beati condierunt rhetoris
Os, avolant examina;
Et in MELISSI sessitaverunt apes
Labris, poëtae nobilis.
Toto relicto nectare, huic cum nectare
Nomen reliquerunt suum.

NORIBERGÆ.

ANNO CIO ID XXC.



AD INCLITAM HEROINAM
ELISABETHAM
ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ
REGINAM.

TE Venerem, te Junonem, te Pallada quisquis
Dixerit; haud abs re dixerit ille puto.
Quin idem Charin & Musam te dixerit. immò
Musa es Musarum tu, Charitumque Charis.
Ignoscas Regina, minus quàm par sit & equum
Dicenti. laudis copia quanta tuæ est!
Divitiis Juno, forma Venus, indole Pallas,
Dote Charis, cedit nomine Musa tibi.
Junones, Veneres, Charitas Musasque Minervasque
Omnes una simul tu superare potis.
Cui culper, si te divis ex omnibus unam
Natam PANTHEIAN, virgo Britannia, loquar?

DE ROSINA.

DV M sedet, & flavas ad aprici lampada Solis
Tinguitur aureo colore ROSINA comas;
Cur vultum umbroso tegit occultata galero?
Splendentes oculos cur tibi Phæbe negat?
Crediderim radios hebetatum luminis iri
Phæbe tui, radios ni tegat illa suos.

IN VEHICVLVM ROSINÆ.

FLAMMIFEROS mirabar equos, cistisque volúcris
Quo mea consedit vecta ROSINA, rotas:
Currus hic Auroræ est, mihi conscia dicitur herilis;
Hunc Aurora tuæ misit habere ROSÆ.
Solis equi trjúges Pyroeis, Æthonque Phlegonque
Hunc raptant. Soli solus Eous adest;
Nam spatium breve solstitio Caper algidus arctat,
Quod ruber extenso tramite Cancer obit.

Sic

*Sic ait. ignivomis splendebant omnia flammis;
Spirabat rutilas ipsa ROSINA faces.
O quam te venerer divam, cui Memnonis altrix
Aurea suppeditat effeda, Phæbus equos?*

AD MATTHÆVM CORASIVM I C.

*CORASI; meus & tuus Rhedinger
Me verbo tenus efficit Monarcham:
Prestat re fieri integra Nomarcham.*

AD IOSEPHVM SCALIGERV M.

*PLVSIVS ille petax & avarus munera poscit
Quemque: Midam magnas namque agit inter opes.
Scaliger hunc culpabis? inops & pauper & ex spes
Ætolus quum sit, Dorica verba facit.*

IN OLPHV M.

*MVTVOS dederam tibi trecentos;
Solum restituis mihi ducentos.
Centum sic pereunt mihi, immò toti
Servantur tibi. agis bene atque rectè
Nummibasie fænerator Olphe,
Si pro tempore, pro loco, necesse est
Inverti omnia. creditor benignam
Usuram malè pendo debitori,
Perdens centuriam unicam aureorum,
Lucri dum faciam mihi ducentos:
Nec priva sine fruge disco, quid sit
Usurarius usuariusque.*

IN VENETIAS.

*SI placitum fatis, ut quincta monarchia regnet
Maxima post orbis quattuor imperia;
Vrbs Venetùm certè fueris dignissima sola
Toto jura solo ponere, jura salo.*

F 1

Non

*Non tua mortales struxere palatia; sed nec
 Jupiter aut Nereus, nec dea glauca Thetis.
 Plus & maius inest, quam dique hominesque potestis
 Farier. una omnes possidet orbis opes.
 Quid peragras Europam, Asiam, Libyamque Neanque?
 Quattuor hac una cernis in urbe plagas.*

AD ALDVM MANVTIVM, PAVLI F.
 ALDI N.

*CARMINA Mureto qui mittit, carmina vatam
 Mittit Aristarcho; sed eidem nempe poëta
 Atque oratori tanto, quem nemo recentum
 Possit Aristarchi sumens sibi munera, sive
 Momum crudus agens, numerosa carpere legis.
 Felices numeri, nec sidere nata sinistro
 Metra, quibus stellas adpinxerit, aut obeliscos
 Dexterâ Mureti transverso cuspidis ictu
 Fixerit! in lucem tali qui stigmatè versus
 Prodierint insigniti; credamne, Manuti,
 Vllius his obelus metuatur, an ullius aster?*

IN CRASSVM.

*MAGNVM putant te Crasse disputatorem,
 Qui vilia admirantur. ipse ut audiui
 Coram, quid esses; quomodo mihi ah qui vi
 Tum temperare, hac quin profunderem verba?
 Non disputas, insulse Crasse, sed sputas.*

IN ONAGRVM.

*POSSE graves Onager bello tolerare labores
 Factitat. an mulus sic Marianus erit?*

IN DIRONCHVM.

*NIL aliud præter rixarum semina totos
 Queris cum Crasso junctè Dironche dies.
 Pax tecum mihi nulla: tibi mera jurgia cordi.
 Omnibus in rebus litigiosus homo es.*

*Sis tamen, ut rabiose voles, latrator Anubis.
Téne hominem dicat, qui sciet esse canem?*

45

MONUMENTVM
VALENTINI GREVII BACFARCI,

In templo Laurentiano, Patavii.

AMPHION, ORPHEVS ET ARION PSALLERE DOCTI
CREDENTVR MERITO TE GENVISSE GREVI;
AVT ILLOS POTIVS DOCILI TESTVDINE QVONDAM
EFFINXIT GENII DIA MINERVA TVI.
QVID REAR? IN TE VNO PLUSQVAM GENIALIS ARION,
ORPHEVS, AMPHION NEMPE VIDENDVS ERAT.

IN TERMINVM.

*TERMINE, tu cedis nullis, ego pluribus. inter
Meque & te quanta est Termine differitas!*

IN CERDONEM.

*FVRATVS argentum trifurcifer Cerdo,
Id calceis infer seras,
Libertus ut Voranus ille Luctat I.
Sed deprehensus vapulas,
Excussus era nummularii. Cerdo,
Exchalciatus quàm probé es!*

IN ALDVM MANVTIVM.

*TRES animas si quis te dicat habere Manuti,
Nil equidem absurdi dixerit ille reor.
Patris avique dua, tuaque uno spirat ab ore.
Nec tibi tam similis, quàm patris ipse & avies.
Ergo quid prohibet, vel te indigitare Manuti
Tergeminum patrem, tergeminum vel avum?*

IN NERONEM.

*HABES Nero barbam aneam:
Neque hoc novum est, cum sit tibi
Os ferreum, cor plumbeum.*

F 3

DE

DE CRASSO, DIRONCHO ET ONAGRO.

BELLE convenit hec̄ticis molossis;
 Crasso nempe Onagroque & huic Dironcho.
 Gannit gutture rancido Dironchus,
 Fætidoque Onager rudit palato;
 Rictu latrat olentiore Crassus:
 Tres docti pariter sonos caninos,
 Eductique simul canili in uno.
 O bellam harmoniam canum hec̄ticorum!

DE ZYMODE.

SOLAS Zymodes Gallias laborare
 Morbo putabat Gallico.
 Ut Hadriana ingressus urbis est arces,
 Quæstum meretrici dedit
 Vberrimum: illa fœnori dedit rursus
 Pæstem luemque corpori.
 Quanta o Zymode luculenter accessit
 Usura quæsito lucro!
 Pauper fuisti inopsque: sic tuas temet
 Augere res oportuit.
 Non extulisti ab Itala pedem terra, &
 Totam occupasti Galliam.

IN THRASONEM.

ILLE suas memorans pugnas Thraso, præliisque cades
 Sub rege Gallum Carolo patratas,
 Roboris invictæque parum memor (ut suborta turba est
 Pusilla) dextra, proh tremore cæco
 Territus in foricam sese abdidit, imminente plaga
 Tironis, ipsum non petentis ictu.
 Quid nuper, subitus cameram face quum micante fulgor
 Illuminasset cerei propinqui?
 Nonne tremens, Serva me Jupiter, inquit? quid hoc est
 Rei? rei quid hocce? fabor hercle.

Omnia

*Omnia tuta vides circum Thraso; sed timoris expers
Ne sis, tuam ipse pertimescis umbram.*

47

AD BENEDICTVM GEORGIVM ALOY-
SII F. patric. Venetum.

*TRADVCIBVS rumpis ut viteaserta propagem
Instaurant, docta rite putata manu;*

Ingenii sic nava tui cultura, Georgi,

Incrementa aucti germinis ampla capit.

Quale Jovis pluvia est vinetis, qualeque Phæbi

Lux, tempestivis utraque missa locis;

Tale tibi riguis Zabarella roribus imber,

Tale Ancantheri fulgida lampas adest.

Jupiter aut Zabarella tuus, tuus alter Apollo; aut

Phæbo Ancantherus par, Zabarella Jovi est.

AD IANVM MELLERVM PALMERIVM.

MELLERE, si quis me roget

Cur raucus hircquitalliam:

Responsio in promptu est. lupum

Antonianum vidi ego,

Aut vidit hercle me prior

Antonianus hic lupus.

AD ZOPYRVM.

DIVA tibi scripta est, formosior omnibus una

Lalia. sed furti cur facis ipse ream?

Restituat Veneri Veneres, duplumque rependat

Zopyre pro spolio; Lalia nuda tua est.

DE ELISABETHA REGINA

ANGLIÆ.

QVID tot in orbe deæ numerantur, quum tamen ullam

Nemo umquam in toto viderit orbe deam?

Aut nulla est, aut vix una est dea. si tamen una est,

Nulla pol illa, nisi sola BRITANNA dea est.

IN

IN ROSAM.

*SVCCI plena bonies, Rosa; at ex te fugit Arachne
Nil nisi virus, Apis met liquidosque favos.*

IN LILIVM ALBVM.

*QUALIS candor inest tibi flos Junonie, talis
Candor in ingenuo pectore regna tenet.*

IN LAVRVM.

*SEMPER Laure vires. o si vigeat mea semper
Laurea, ab hac carpet florida ferta nepos.*

IN EDERAM LAVRO IMPLICATAM.

*CVR Edera o laurifoliis velut uxor adhares?
Ut Daphna & Baccho junctior adsit Amor.*

IN VITEM FLORENTM.

*NON ego me matrem generosi jacto liquoris:
Flore meo dixi suavius esse nihil.*

IN CROCVM.

*CVR studio addicti, cur & palletis amantes,
Ni vobis tinxit spica Cilissa genas?*

IN MELISSOPHYLLON.

*FLORE meo numquam frueretur mellis amatrix,
Ni pavissem olim melle MELISSA Jovem.*

IN NARDVM.

*Si quis tam redolente minus capiatur odore,
Dignus sit muncta naris habere nihil.*

IN ROSINÆ VNIONEM.

*QVID creta albidius? lac. lacte? olor. ecquid olore?
Nix. nive quid? nivea lucida gemma ROSÆ.*

AD

AD DIVAM ELISABETHAM,
ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ
REGINAM.

49

*CÆSARIBVS magnis quondam clarisque dynastis
Tantus legitimo est jure tributus honos,
Ut PATRIÆ PATRES audirent; idque togati
Ob merita in populi sacra piosque focos.
HEROINA, tua quis laudis facta recensens
Adjiciet meritis nomina digna tuis?
Tu patriam, qua te talem tantamque creavit,
Nunc recreas, gentis cura salusque tua.
Nonne decente magis melioreque jure Britannum,
Te PATRIÆ MATREM dicere quisque potest?*

SODALI.

*NEC viliores nec potentiores sunt
Vllo laceffendi modo.
Monere toties audiisti id ipsum me,
Arbitrioque libero
Sententia recens, amice, subscripsi.
Fefellit incautum a vius
Excessus. inritare velle crabrones,
Aut excitare scorpionum, aut
Somno leonem vellicare sopitum,
• Impune nemo umquam tulit.*

AD ZOPYRVM.

*VS QVE adeo pulchra est quod Lalia, pulchrior ut non
Esse queat; non, si se superare velit;
Desine mirari mi Zopyre. Lalia non est,
Sed Venus e capta Marte fugata Cypro.
Induit humanam faciem dea. dumque latere
Vult, oculo & vultu proditur ipsa suo.*

G

DE

DE LÆLIA.

*SI fuit in fatis, ut sic formosa virago
 Debuerit nasci roribus Adriacis;
 Arguitur falso pulcherrima Lælia furti,
 Ut Veneri cunctas abstulerit Veneres.
 Exoritura Venus potius (nam credere dignum est)
 Sumsit ab hac pulchri corporis effigiem.
 Quàm præstant igitur nativa corallia fictis,
 Tam Venere est bellâ Lælia bella magis.*

AD NICOLAVM CLEMENTEM
TRELÆVM.

*• INVITAT Megadorus aulicorum
 Catum, meque sibi velut poëtam
 Vult condicere cras, Trelæe, cœnam.
 Ego, sportula detur anne recta
 Parum curo. venire mi molestum est:
 Nuptias quasi factitat perennes
 Profusissimus erogator aris.
 Contra de varii saporis herbis
 Acetaria me magis juvabunt,
 Et purissimus haustulus rubelli,
 Contentum domicænio minuto.
 Cœna proinde ego nuntium remitto;
 Sex septemve sedentibus quod horas
 Captivus Cerealis esse nolim.*

IN PYGMÆVM.

*ISTE levi levior Pumilus Telembrote plumâ,
 Vertice quem nanûm turba minuta præit:
 Cum sit tam parvus, magna se venditat urbe,
 Mentitus patriæ grandia monstra nothæ.
 O veteratorem! tam musca pusilla quadrato
 Cognomentum ingens ex Elephante petit?*

DE

DE CRASSO ET DIRONCHO.

51
DOCTOS inter habere vim Dironchus
Vult cupitque, cupitque vultque Crassus
Idem. sic Petre pulvis ille tritus
Coctili e latere croco infriatur,
Muscerda inficitur piper dolose.
Ne fallare debinc caveto. Crassus
Muscerda est tibi, pulvis est Dironchus.

AD T. B.

DVRA procellosi maris exsuperasse videbar,
Famque legens portum molle natabat acer:
Tempestate novâ quum deferor actus in altum.
Franguntur remi turbine, temo cadit;
Anchoraque intortos dirumpit jacta rudentes.
Allisu scopuli quassa carina perit.
Nunc fluctus inter dependeo caute, minaxque
Nil minus adplosum verberat unda latus.
Stet mare tranquillum, nostræ quis amice saluti
Consulet? in tutis fluctuo nempe vadis.
Prestiterat periisse semel, si naufraga jam bis
Partâ servari vita salute nequit.

AD FR. HIPPOLYTI HILDENSÆ MVM.

HILDENSÆ ME, tuo didicisti
Cum periculo,
Quàm sit iracundus Hadria.
Felix, qui tumidum rate numquam in-
gressus est mare!
Tutior solo est via, ac salo.

IN SOLEM.

SOL oculus mundi vocor. omnia lustror, diemque
Candifico. sine me quid nisi triste chaos?

G z IN

IN LVNAM.

FOENERAT ut stellis ita mi quoque lumina Titan.
 Paupera quamvis sim, cornua sumo tamen.

IN ROMAM GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS.

QUAE non es, sed eras, quamvis es Roma, vetusti
 Roma potens regni sede, potensque novi;
 Prostratas inter flores reparata ruinas.

Grande dedit templis aurea penna decus.
 Jamque renascuntur priscis Capitolia saxis,
 Ne tot ruderibus Roma sepulta cubes.

Fabricii meritum monumenta Latina loquentu,
 Ibis & in laudes plurime Teuto suas.

O Romam aureolam! reliquis data finis, at isti
 Principium extremo surgit ab interitu.

IN OVIDII NASONIS OPERA,
ab Hercule Ciofano Sulmonensi
restituta.

BARBARIES, Ovidi Peligne, invaserat audax
 Urbem Romanam, teque tuosque libros:

Quam clavâ domitat tuus ille Ciofanus. an non
 Pelignum hunc scribes Amphitryoniaden?

AD HERCVLEM CIOFANVM.

Videndas heri, perparce, dedisti

Nasonis imagines
 Tantum; mihi nam dare habendam
 Saltem unam, novitas scilicet impediit.

Legendas tibi solas hodie si

Nostrorum ego carminum
 (Nam sunt nova) prestem ideas, nec
 Utendas: avido nonne satisfaciam;

Vt olim satur nidore culinae
 Persolverat hospiti

Clangore

*Clangore nomismatis? I nunc,
Et me par dubita reddere posse pari.*

MATTHÆO CORASIO I C. & POETÆ.

*PARTHENOPE genitrix Sirenum dum tibi longam
Imperitat, Romæ me latitante, moram;
Hei mihi, quòd tota nil quo juver adsit in urbe,
Roma ferè & Romæ clamet habere nihil!
Ah totum quod adest, nihil est. quod abest, mihi totu me est.
Si pereò ob totum, nil mihi prastet opem?
Tu mihi Constantine venis Capitolium, & ingens
Roma; absens, præsens sis, ubicumque velis.
Cerne animo hunc animum. Romæ te comparo celsæ,
Noris ut hic quanto celsior exstet amor.*

AD IANVM GVLIELMVM LVBECENSEM:
De tribus litteratorum principib.

*DOCTVM Scaligerum, meumque Doufam
Lipsumque trium viros vocabam
Bonarum Gulielme litterarum;
Cum mi Phæbus ait: Bene eruditos
Cunctis artibus omnibusque linguis,
Doufam Scaligerumque Lipsumque,
Ut rectè indigites; deos memento
Bonarum vocitare litterarum.*

IN CÆLOS ILLVSTRIVM VIRORVM
FR. HIPPOLYTI.

*Magnus Atlas humeris calum qui sustulit unum,
Bis, ter mole gravi ponderis ingemuit.
Plures Hippolytus fert calos vertice, plures
Hippolytus mundos fert, sed Atlante minor;
Tanto Atlante minor, quanto terra orbis Olympo:
Nec tamen ingemuit, nec tamen occubuit.
Castora cum gemino, Chironaque testor adultum,
Et nive commistas qui puer haurit aquas.*

G 3

Rem

54 Rem prope inauditam narro. quapropter & ille
Dum piger ad gemitum, lentus ad occubitum,
Plures Hippolytus fert calos vertice, plures
Fert mundos; ipso maior Atlante venit:
Tanto maior Atlante, meus Neomarchicus Atlas,
Quanto ingens magnâ maior Olympus humo.

IN SPICILEGIA IANI MELLERI
PALMERII,

SPICAS legentem viderat Pales
Mellerum, & ipsa viderat frugum dea,
Ab Apollinis vestigiis:
Nam pastor Admeteus exsulem
Messorem agebat; cum Ceres sic excipit:
Legere o maniplos parcite
Dehinc, coloni; quippe mergites
Palmeriani tota replent horrea.
Satis hocce non adorea est?

IN DIRONCHVM,

RVFA tibi barba est, facies vitiligine tincta.
Tene rear nivei pectoris esse virum?
Collum dedecorat levum rimosâ cicatrix.
Tene rear sani ruminis esse virum?
Insolita cerebrum vertigine saepe laborat.
Tene rear solidi verticis esse virum?
Nil prodesse Dironche potes. nil cætera frugi.
Ecquid enim es pinguem præter aqualiculum?
E lue servatum huc misit te fûnebris Ate,
Pestis ut heu nobis omnibus une fores?

DE CRASSO,

SPVMAT aper, sues grunniunt;
Hybridis ab utroque utrumque
Cônvenit. at quid heic grunnit &
Spumat hybrida Crassus iste?

Hybrida

*Hybrida Crassus est, & tamen
Vt canis rabiosus hirtit.*

55

IN ONAGRVM.

*QVOD cogitaris, dixeris aut feceris
Onagre, certum id semper adsequi scopum,
Subinde jaētitas. ut ea credam omnia,
Vni fidem negabo. quantumcumque enim
Et quaecumque & quomodocumque uspiam
Aut cogitaris dixerisve aut feceris;
Nec cogitare aut dicere ipse aut facere quis,
Tua ne merētrix sit parens, neu tu nothus.*

AD IANVM DOVSAM NORDOVICEM,
nob. Batavum.

*MVSARVM pater atque Gratiarum,
Mi dulcissime Jane Douſa; si me
Musas viſere Gratiarumque veſtras
Lugdunum lacis advenam Batavum,
Et mi prandia lautiora ponis,
Et Rhenana ſalubriora fundis,
Vt mos eſt tuus iſte Lipſique:
Vnum ab te peto Lipſioque; Juſto
Lipſio, nitidiſſimo virorum
Atticos adamantium lepores;
Vnum inquam peto, ne foci magiſtra
Aut magiſter Apitia culinae
Sardoum ARTOCREAS gula miniſtret:
Sardoum male riſero cachinnum.
Immo, Douſa, miniſter aut miniſtra
Sardoum ARTOCREAS mihi propinet;
Sardoum bene riſero cachinnum.*

DE MORESO.

*EBRIVS in putridum Moreſus ille ſimeto,
Conſperſus ora crapula*

Evomi-

Evomitoque cibo, jacet, exhalatque Mephitim:

Sus ecce fatorem suis

Vt sensit, rostro praelambit labra jacentis

Inunēt a pingui stercore.

Tum ratus ille sibi tonsorem radere barbam,

Ronchissat hos stertens sonos:

Ohe tonsor, ohe tonsor cave, ne male cacā

• Me la seris novaculā.

IN A. GELLIVM.

EX Gellio dum factus est Agellius,

Qui luce noctes candefecit Atticas,

Capitique prisco dum novum adfixum est caput:

Αἰεφαλ & auctor ipse nunc obambulat.

O Aule Gelli, si Latini vindicis

Nomen mereris, vindica nomen tuum.

IN THRASONEM.

SIC mecum stomachare Thraso, ceu Persa quis olim

Ore sonos jaciens satrapa fulmineos.

Tu mihi nec dominus, nec ego tibi servus. at usque

Magnite faciam poscis, inique Thraso.

En facio. non protester? te scilicet esse

Et dixi & dicam & dico superbum asinum.

PHILOMELA.

MILLE mele Philomela cano, cano mille sonores.

Quid cecinisse juvat millia mille? necor.

IN ACANTHIDA.

NIL preter spinas cantas mihi tristis Acanthi.

Quando age cantabis dulcis Acanthi ROSAM?

AD SERENISSIMAM
ANGLOR. FRANCOR. HIBERNORVMQVE
REGINAM ELISABETHAM.

57

INSVLA te dominam Britannia libenter adorat,
Hibernique colunt & Ique deaque sali:
Calibe quid REGINA toro sine compare vivi,
Tamque diu vidua tempora mororabis?
Lux & vita mea, o conjux, & summa voluptas;
Cur, tibi qui placeat, nemo maritus ait?
Mystica res facum. tibi num reperire negatum est
Regibus in tantis Caesaribusque parem?
Utque parem invenias; virtus tua praterit omnes,
Ut Sol cuncta suis sidera luminibus.
Aut igitur nugas ipsi tibi casta necesse est,
Aut fias Genii sponsa pudica tui.
Sic, ut te solâ digna es tu sola, jugalem
Solutus erit Genius dignus inire torum.

AD ROSINAM,
De littera R.

PINXI Latinê, Gracê, Hebraicê nomen
Tuum, ROSINA; mysticos & indagans
Numeros, in abstrusas technas penetravi
Egyptiorum. cernis, ut tibi ternas
Sensus per omnes dextra duxit ambages?
O quàm sagax tui est Minerva Rabbini!
Quàm me beatos traxit ars in ERRORES!

AD DANIELEM ROGERIVM,
reginæ Britanniaë consil.

DVM vitâ fruar hac superstes,
ROGERI decus Anglia,
Reginæ meritas Britannæ
Laudes ore hilari canam.

H

Sum

Sum facturus idem, supremo
Postquam tempore vixero.
Quei facturus idem? rogabis.
Deprecabor Apollinem,
Vt post fata meus remigret
Vivax in niveos cygnos
Spiritus, Tamesim incolentes.
Nam quo perpetuus gregem
Plurium Tamesis cygnorum
Alet, pluraque perstreperet
Rostra; eo quoque latiore
Divam gutture concinens
Clangam. quisquis & hos olores
Inaudiverit oscines,
Videritve; Melissus, aiet,
In his vivit oloribus.

IN VRBEM SENENSEM.

O Sena veteres, magna compendia Roma,
Mœnia septeni collibus alta jugi;
Quo se LIBERTAS vertit gratissima rerum,
LIBERTAS vestris sculpta cacuminibus?
Cernitis, ut nutrix geminum demissa Quiritum
Et capite & caudâ languida vergat humi?
Roma fores, aliquis modò Tybride purior amnis
Allueret valles, urbium ocelle, tuas.
Si tamen incipiat non amplius esse, quod ipsa est
Roma; tibi Roma nobile nomen habe;
Vt quantum illa alias inter caput extulit urbes,
Tam celsè supra stent tua regna caput.

AD PHILIPPVM SIDENEVM,
proregis Hiberniæ F.

SEV me Roma tenet, paterque Tybris;
Seu Bononia docta, sive Sena,

Sive

59

*Sive Antennoria lycœon urbis,
Seu tenent Veneta paludis arces:
Vsque te memori voluto mente,
O aula Sidenee lux Britannæ.
Ecquando Tamesim videbo vestrum,
Londinique domos superbiore,
ELISA Mque decus perennæ regni,
Reginaque tot inclitos dynastas?
O quàm diuiduus mihi met ipse,
Et segrex videor loci utrisque!
Namque in Asonia mihi invidenda
Corpus, meus sed in Anglia moratur.*

IN EFFIGIEM M. ANT. MURETI.

*SE mihi donavit Senas Muretus eunti.
Quid ni possideam pectore & ore meum?
Illene sit Roma? nullus. quid Roma superbis?
Omnem ego Dirceis jure triumpho tubis.
Fallimur. ille absens de me presensque triumphat:
Immò etiam de te parta trophæa rapit.
Tu tamen ecce tibi spolia ampla referre videris;
Atque refers sanè, sis nisi egena tui.
Ille tibi servat Latium, tibi vindicat ora,
Purius antiquis ora loquuta modis.
Jam verè domina es. Qua, qualia, quanta patrono
Roma cliens debes, quo sine nulla fores?*

AD CAR. SIGONIVM MUTINENSEM.

*QUE M sacer Aonia dignatur Apollo corona,
Aureus ille mihi est; una Camena refert.
Eloquio reliquos Hermes cui vincere donat,
Gemmeus ille mihi est; altera Musa refert.
Ex auro & gemmis si totus es ipse Sigoni,
Quali exornaris splendidus elogio;*

H a Ad

*An quisquam dubitet, quin omnia sint tua planè
Aurea, qua scribis; gemmea, qua loqueris?*

**DE CASSANDRA PASQUINA,
Ad Pompeium Prosperum.**

*SOLIS ad occasum stabam, miratus Olympum
Aureola clara spargere luce faces.*

Provehet, aiebam, nobis lux crastina sudum.

Exoritur nitidum protinus ecce jubar,

*Purpureis Cassandra genis, oculisque serenis;
Splendidior radiis, fulgidiorque rosis.*

Quid censes, o Prosper? egon' felicior, an tu;

Queis talem præsens obtulit hora deam?

Pulchrius hac nihil est, nihil hac formosius usquam,

Inter Senensis numina rara chori.

Sidera quum relique, quum Sol Cassandra sit; an non

Præstinguat cunctis lumina sideribus?

DE EADEM.

DVLCE ego ridentem Cassandram, & suave jocantem,

Jucundèque loquentem

Audiui, vidi, sensi, risuque jocisque

Illiusque loquella

Dulcius esse nihil pote, nil pote suavius esse,

Nil jucundius usquam.

Oh stupor est, cui non Cassandra valentior una

Sensus auferat omnes!

AD ANDREAM VVOLVFGANGVM

Polemium Baronem.

GRATIA, forma, decus si cui censentur inesse

Nympha, quæ cuncti maxima dona probent:

Crede mihi Polemi; vel nulli hæc dona, vel uni

Maxima Cassandra censor inesse puto.

Divarum genitrix produxit Hetruria plures,

Quas reliquis omnis prætulit Ausonia.

61

*At Cassandra illas omnes sic dotibus anteit,
Ut Jovis uxorem & Pallada bella Venus.
Ecquis non summé veneretur, honestet, adoret;
Quam summé extollunt gratia, forma, decus?*

**AD PETRUM VICTORIVM
Florentinum.**

*OPTIMVS ecquonam merito tibi dicor amicus.
VICTORI cunctis semper amice bonis?
O aliquo prestare virum conamine possem,
Hæc tibi quo bonitas experiunda foret.
Tu venerande senex & amande probissimus audis
Docta SCALIGERI voce manuque mei.
Adtestatur idem quisque optimus, optima de te
Sentit & Eous, sentit & Hesperius:
Nec falso, queis iudicii sententia nostri
Poscitur, hanc animo non titubante feram:
Si melior quis eo potis esse, quod optimum habetur;
Ter tanto melior Thuscus habendus eris.*

RESPONDET ACHILLI STATIO.

*LIBATOR olim dulcium, mellifluos
Ruspatus alveos puer
In me volucres concitaram, spiculis
Labella fixus lividis.
Gustasse amara fellis, & non dulcia
Mellis, videbar saucius.
Hoc nectar est, Melisse? Lusitanus hoc
Ait Plato. si nectar est;
Hoc nemo certé, tu nisi ore de tuo
Misti in os Stati meum.*

AD IVSTVM LIPSIVM.

*TRAMITE perfacili planos mihi currere versus
Culpat inæqualis carminis Ocnus amans;*

H 3

Scriben.

62 *Scribendique genus damnans equabile Lipsi,
Non, ait, ista mihi lubrica vena placet.
Nil moror obliquum. quasi veró scribere sumam,
Ocno incomposito quæ placuisse velim:
Cui tam dissimilis studeo per cuncta videri,
Quàm semper similis pertrahor esse mei.
Hanc utri dabimus rem, naturæne vel arti?
Intricata Ocno, libera vena mihi est.
Fallor, an his visis, Nemo nisi barbarus, aies,
Carmina culta odit, aspera hiulcaque amat.*

AD LUDOVICUM CARRIONEM I C.

*Carmen ἀποσβαῖον, conjungendum illis quæ exstant
in Iusti Lipsii Ant. Lect. l. 3. p. 125.*

*ITE procul tetricum rixæ genus; ite Catones:
Non facit huc torvo ruga supercilio.
Me juvet in sociûm turba cantare serenum,
Et melicis animum pascere carminibus:
Me juvet irrausas mecum flaccescere chordas.
Adde puer vacuis dulce merum cyathis.
Ter tibi Melpomene, ter fit tibi cantor Apollo;
Ter tibi fit roseo bella ROSINA mero.
Talis si vite flueret consensus homullis,
Velatis oleæ termite lene caput;
Non rabies, non livor erat: sed lite fugata
Sentiret nullos Curia rauca canes;
Nec toties arctis in cassibus irretitos
Mulctaret cives fasque nefasque suos.
Si sapis, hisce graves modulis compscere noxas
Consule, & argutis conde diem fidibus.
Nam velut epotâ fax Pallade cludere lychni
Languida productis conspicitur tenebris;
Sic nobis atrâ clauduntur lumina nocte.
Carrio, cras serum est fallere, falle hodie.*

IN

IN ADOLPHI OCCONIS INSIGNIA.

63

IMPERATORVM veterum monetas

Cesarumque vetustioris ævi

Laminas, prisca monumenta Romæ,

In lucem studiose mittis Occo.

At tibi contra novus imperator

Dat insignia Maximillianus,

Aurea dignos Aquila volatus,

Gestamen celebri perenne genti,

Premiis virtus decoratur. Ecquid

Poscis amplius, ut beeris, Occo?

AD IANVM LERNVTIVM.

MELLITOS oculos Hyella

Abs te compositos, Hyella

Lernuti Charitumque ocelle,

Vidi in Italia atque legi.

Quamquam parvulus est libellus,

Scutatis tamen hunc duobus

Emi; scilicet ut videre

Semper, semper habere possim

Mellitos oculos Hyella.

IOANNI ARNIMO, NOB. MARCHICO,
Hierosolymam eunti.

ARNIME, durateam properas conscendere molem,

Qua vector Tripolis littora curva petes:

Sed primo superanda mari nemorosa Zacynthos,

Idaque mons Cretum; dein Rhodus, inde Cyprus.

Quum venies Solymam, Christi venerare sepulcrum

Cernuus, & grates huic reverenter age.

Votaque pro reditu quum solveris, adde precando;

Christe fave, pro me vovit amicus idem.

Sic felix abeas redeasque, cohorsque marina;

Latro Palestinum non inimicet iter,

Visere

64

*Visere gestimus si saepe profana locorum,
Num sacra quis credat velle videre nefas?*

BERNARDO PALVDANO FRISIO.

TE quoque visurum terra viridaria sancta

Auehit a Veneto navis onusta mari.

sit tibi Neptunus felix, sit prospera Juno:

Tangantur tuto prata Syrisca pede;

Fertilibus palmis quo detur adire Damascum,

Altaque Carmeli scandere posse juga:

Vt referas medicos quamplurima sospes in usus,

Et qua divinus Mercurialis amet.

Balsama si tecum Bernarde salubria portes,

Quid reditu possit gratius esse tuo?

I Genio duce, castum olim comitante Thobyam.

Calite defensus nulla pericla timet.

CHRISTI SEPVLCHRO ADFIXVM

HIEROSOLYMIS,

Anno M D LXXVIII, mense Aug.

SI caro nil prodest quidquam, cur CHRISTE volebas

Carnea pro Christis sumere membra tuis?

Ah ideo fragiles sumisti corporis artus,

Pro nobis posses ut redivive mori;

Gens ita possemus morti data vivere per te.

O vivam ex leto vivificante necem!

An tibi nunc corpus mortale dicemve sacremve,

Suffixum tumuli limine CHRISTE tui?

Quid profit corpus? mentem tibi sacro dicoque.

At vetus in veterem migret Adamus humum.

Immò age fac DEVS outrumque resurgere tecum:

Sic nova mens exstet, sic novus exstet homo.

IN DEI IMMENSITATEM.

ALTIVS ecquid humo est? mare. & hocce quid? ethra. quid ethra?

Flamma. quid hac? polus. hocce quid? Deus. hocce? nihil.

DIVÆ ELISABETHÆ
BRITANNOR. FRANCOR. HIBERNOR. Q.
REGINÆ.

65

TANTINE sum, Regina, de me
Vt rogites volens,
Vbinam locorum victitem?
Tantine sum, Regina, Musas
In penetral tuum
Vt amanter acceptes meas;
Mihique magnas proinde grates
Sic jubeas agi,
Quasi quid merenti gratia?
Fortassis & ROSINA qua sit
Nostra, rogaveris.
Equidem ipsemet (credas velim)
Ignoro. nunquam enim Rosinam
Vidi ego, quam cano
Cecinique, quamque dehinc canam.
Umbra ergo captas o Melisse?
Omnimodis: quia
Procul hinc abest corpus Rose;
Nec sat scio, quonam sub axe
Eutopia. peris
Igitur Rosinam, & perditum is
Et tempus & te, France? quid tum?
Dummodò non mee
Pereant imagines ROSÆ.

AD VICTOREM GISELINVM.

LVDICRA qua scripsi Schediasmata Apolline nullo,
Sic in deliciis DELICIANVS habet;
Delicias ut eos versus floremque leporemque
Et Phæbi & Charitum Pieridumque vocet.

I

Seria

*Seria cum graviter, Gifeline, Melismata pangam;
O quanti hac faciet Deliciana chelys!*

AD ROSINAM.

*NON oculi, gemina astra; rubris non labra corallis
Amula, non mentum, purpureæve genæ;
At nec marmoreum pectus, nec eburnea cervix,
Latave flaventi frons obamicta comâ;
Non digiti raris gemmis auroque nitentes,
Candida non obiens colla monile teres;
Nec qua velaris violacea purpura cinctu
Aureolo, Phrygiâ picta decenter acu:
Lingua ROSINA tua est, quæ me lacit, angit, inescat:
Lactea verba sonas, mellea verba canis;
Surpiteme voci cantantis, sive loquentis;
Tam dulci linguâ si, quasi peste, necor.*

AD GEORG. LVD. HUTTENVM,
nob. Francum.

*EST aliquid, claris debere parentibus ortum,
Priscorumque recens reddere nomen avûm:
Nec minimum est, cultas animum formasse per artes;
Et Ciceroneo purius ore loqui.
Tu decus exornas Huttenæ gentis, & amplis
Doctrinæ cumulas munera divitiis:
Nam tuus agnatus per te Ludovice revixit,
Doctaque tam celebris tot monumenta viri.
Quo non it virtus, quæ non nisi cogitatusque
Optima, promittit maxima, summa facit?*

HVBERTO GOLZIO C. ROM.

*O GOLZI, graphica magister artis,
Et prisca reparator alte Romæ;
Vt te cernere gestio, novæque
Tecum notitia perenne, si vis,*

Fædus

Fædus icere concupisco ! nam qua
 Tu Francorum oriundus urbe es, illic
 Defuncti recubant mei parentes,
 Ad MÆNI tacite fluentis amnem;
 Huius & colo jura civitatis.
 Si quid patria, si quid hac voluntas
 Potest, si quid amica vis Camena;
 Fallor, an mihi sic benignus aies?
 Jamdudum tua teque, mi Melisse,
 Amo, teque dehinc amabo semper.
 Intra. sponte foris tibi patefcit.

IN FVNERE MARIÆ, IO. POSTHII F.

TAM citò Posthiolam mors immatura Marillam
 Præripuit matri, præripuitque patri?
 Vnica eras & prima hilarum quæ cura parentum,
 Supremis causa es luctibus & lacrimis.
 At nihil heu lacrimis aut luctibus ægra levatur
 Mens, desiderio crebrius icæta tui.
 Occule Mors antris hæc gaudia. quid facis? usque
 Vt superent luctus scilicet & lacrimæ?
 Quid ni? testis enim lacrima est luctusque parentum,
 Gaudia, quæ sepelis, sola fuisse sibi;
 Donec mens longi saturata doloris, utrinque
 Conficiat luctus, conficiat lacrimas.

DE INSANIA CRESTII.

LYMPHATO Dionysius
 Bacchantem mediis pectore Crestium,
 Larvatisque labris deos
 Temnentem atque homines, Burdo Κοφωταλον
 Scribis, stultitia pater.
 Quod si μωρολογον scribere Crestium
 Velles, stultitia patrem;
 Patrem te vocitem pol sapientia.

IN Q. VALERIVM CATVLLVM
a Ios. Scaligero castigatum.

NEC Romanus eras, nec Veronensis, ut urbem
Abstulit & patriæ jus fera Barbaries:
Nam præter linguam tibi pessima bestia, Quincte,
Turparatque caput, conscideratque pedes.
Veronâ candor, Româ nitor abfuit ille,
Tecum ab Barbaricum missus in exsilium.
Nunc postliminio sortem miseratus acerbam
Scaliger, adsertor civis in urbe sui,
Pristina jura tibi lacerosque redintegrat artus,
Restituens patriam, restituens Latium.
Tempus in omne dehinc Latio patriæque vigebis,
Patriæque & Latium tempus in omne tibi.

IN IAC. ZABARELLAM PATAVINVM.

ALTIOR humanis cui mens super ardua cali
Fertur, & abstrusas dispicit orbis opes;
Quinam te æquiparem Zabarella? satumne Minerva
Te rear, aut ipsâ te rear Vranie?
Diis genitus divina sapit. divinius ipsis
Diis aliquid tanto lucet ab ingenio:
Quod mihi conanti radiis attingere acutis
Nigrescunt oculi, sensus hebescit iners.
Quo penetrent externa hominis, si interna dearum
Vix sunt arcanis ingeniosa tuis?

IN LÆLIAM.

MANE ego te vidi, te vidi ego vespere; vidi
Noctibus, & medio Lælia bella die.
Nativus color est tibi; qualis ab æthere puro
In matutinam purpura lucet aquam,
Non alia atque alia es. fucum pigmentaque nescis,
Et Porphyriacis æsypa mista lutis:
Et tamen Hesperiiis, uncto quæ polline tinguunt
Labra genasque, tui stat prior oris honos.

Sis

*Sic ipsa tu re, quod saepe ego dicere suevi,
Natura est potior qualibet arte, probas.*

IN OLLYMVM.

*Ω μέγα Virginia stricto cum viscere, nec non
Viscere cum laxo Daphniones O μίχρον
Collaudare soles, obscæne. quid Ollyme refert,
In magno an parvo dispereas barathro?*

IN ADVLTERVM.

*TV qui permolis Antii maritam,
Perdepsis que alias sceleste pistor;
Vndas atque rotas timere disce.
Seró nempe moluxit mola deorum.*

IN PORCIVM.

*CENTAVROS inter Lapithasque ferosque Cyclopas,
Queis nimio labor est incaluisse mero;
Nemo propinator mihi fallitur, inquis, in haustu.
Poto; meusque parens assuëfactus ita est.
Dein vomis & ructus jadis. optime nate, patrissas.
Quodque magis decori est, a sue factus ita es.*

DE BRYCHONE.

*VIRTUTEM virtute Brycho cumulare fatetur,
Ne sua nobilitas funditus intereat.
Ebrius omnem hausit vappam in Germanide terra;
Mæchus in Italia scorta frequenter adit.
Strenuus es. nihil indignum Brycho te facis. en, te
Antè suem vidi, nunc video esse canem.*

IN ORNYMVM ANC.

*MARCHITAM mihi te fateris ultro.
Fari hoc Ornyme non opus fuisset,
Cuias quisve fores. satis superque
Magnum prius esse te sciebam.*

DE ONAGRO.

*TAN QVAM cercopithecus insidens cameli
Dorso, Frisco Onagrus insidet caballo;*

*Cui calcaribus usque eo fatigat armos,
Vt feré ilia sauciata dispalescant.
Si me Onagre roges, mihi Typotioque
Ecquisnam videaris; audies Asellus.*

AD FR. MODIVM BRVGENSEM.

<i>QVO se proripuit, Modi,</i>	<i>* Nostro nomine plurimum</i>
<i>Marivorda vester ille?</i>	<i>Age salveat, meamque</i>
<i>Liquit in Patavi sinu</i>	<i>Meo nomine plurimum</i>
<i>Gemitus sui sodalis;</i>	<i>Jubeat mihi Rosinam</i>
<i>Nec quisquam quid inaudit</i>	<i>Salvere, & sibi rem bene</i>
<i>An adhuc agat Cremóna,</i>	<i>Gerere ad fluenta Rheni.</i>
<i>An veró reditum suam</i>	<i>Pertasum Italia est. brevi</i>
<i>Properarit ad Melaniam.</i>	<i>Alemannia revisam</i>
<i>Vbicumque morabitur</i>	<i>Fines. hoc volui. vale,</i>
<i>Marivorda vester ille; *</i>	<i>Et ama tuorum amantem.</i>

AD LEON. LECHNERVM ATHESINVM.

*COLLIGIS exornasque tui suavissima Lassi
Cantica, sinceris emaculata notis.
Vidimus excusis specimen geniale laboris:
O reliquis itidem da rogo luce frui.
Hinc Musæ Lechnere tibi debere fatentur
Plus, quàm vel Lasso solvit Apollo suus:
Aut certé Lassus tantum tibi debet, ut inter
Se Musasque adsit mutua debitio.*

AD MANES FR. PETRARCHÆ.

*LUSTRA quattuor unicamque messem
Amasti ingenué Petrarcha Lauram;
Sed quam cernere sat superque quisti.
Lustra quattuor ampliusquē jam nunc
Amavit Schedius suam Rosinam;
Sed que cernier impetrata nunquam.
Vtri mitior adfuit Dione?
Vtri fortius imperat Cupido?*

AD

AD DIVAM ELISABETHAM
REG. ANGLIÆ.

71

VIGINTI potui Maios perrepere Acanthas,
Pungentesque vepres saepe rubosque pati;
Carpere quo florem nitidum Regina liceret,
Quem Venus ante alios semper amare solet.
Sed neque ver unquam me respectavit, & æstas
Postica obvertit vultibus ora meis.
Floribus in mediis verser licet, en ego nullam
Conspicio, fuerit quæ mihi nata, ROSAM.
Nulla ROSA apparet. spinarum & sentis abunde est.
Quando ROSÆ tandem prominet ille calyx?
Sis æstas mea verque meum, Regina, ROSARVM
Flos: illum florem nempe videbo ROSÆ.

ZOPYRO.

VT semel videas meam ROSINAM,
Tot delubra recentium deorum
Dearumque petis; tot angiportus,
Et tot quadrivii pares recessus,
Et tot compita leva pervagaris.
Frustra querere, nuspiam quod exstat,
Hem, cuiæ est opera? sed inveniri
Posse si tamen ullibi Rosinam
Autumas; age quare, quare quantum
Potes Zopyre. nã (Jovis cerebrum
Testem laudo) reperta si sit usquam
Illa nostra ROSINA, fax Amoris;
Illam non alibi, nisi in sacello
Depictam invenies meæ Minervæ.

AD CAR. V TENHOVIVM C. F.

SOSPES reversus Italis ab oris,
Pallantiamque Otoniamque doctam
Saluto amanter. ni illa & hæc recepsit,
Tibi salutem Carole hanc habeto.

AD

AD ELISABETHAM
 ANGLIÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ
 REGINAM.

NON solum, Regina, meos tibi sacro libellos,
 Jam quibus imposita est ultima calce manus:
 Sive Poësis erit, seu cantio Musica, sive
 Nescio quid melici; scilicet omne tuum est.
 Non solos, inquam, tibi dono sacroque libellos:
 Ipsum me Genio dedico Diva tuo;
 Germanumque hominem Francâque propagine cretum
 Regia me dedo sub juga servitii.
 Vtere me servo domina; ingenuoque ministro
 Sis hera, qui laudes incinat usque tuas.
 Eccui libertas tanti sit, ut esse recuset
 Tanta patrona nobile mancipium?


REGINÆ RESPONSUM.

GRATA Camena tua est, gratissima dona, Melisse:
 Grator est animi dulcis imago tui.
 At quæ tanta movet te causa, quis impetus urget,
 Ex homine ingenuo servus ut esse velis?
 Haud nostrum est arctis vates includere septis,
 Aut vel tantillum deminuisse caput.
 Tu potius liber fieres, laxante patrona
 Vincula, si famula conditione fores.
 Sed vatum es princeps; ego vati subdita, dum me
 Materiam celsi carminis ipse legis.
 Quem Regum pudeat tantum coluisse Poëtam,
 Nos ex semideis qui facit esse deos?

LECTORI.

TÆDIA concipias ne plura, quiesco. quiesce
 Tu quoque, & has Apinas consule quæso boni.
 Tædia compensare tamen si nostra laboras,
 Par hostimentum da Philomuse pari.





B.I.G.

Farbkarte #13



LISSI

ve odæ

A D K f 130

ERGAM

EMVIROS

B. NORIB.



BERGAE,

cedum Montani.

IO XXC,

6

